

S. D. Non audeam toties ad uos de uestra Republica scribere, nisi existimarem me uobis bene notum esse, ac statuerem uos pro uestra prudentia boni consulere meas lras. Profecto non moueor ambitione, ut studeam me ingerere. Interdum amicus morem gero, interdum etiam amore Reip. moueor. Caspar. Witterstet cupit redire ad Academiam, et orat sibi committi lecturam Institutionum in Academia Francofordensi. valet ingenio & facundia, laboris patiens est et amans studiorum, ac honestus, et constans in susceptis causis. Ideo uos etiam atq; etiam oro, ut eum Illustrissimo principi commendetis ac adiuuetis. Schola haud dubie cito frequentior erit, si habebit lectorem Institutionum non ignauum. De scotto gratias uobis ago ingentes. Meam filiam cupio uobis esse commendatissimam. Respicite quasso ipsius aetatem, et meas aerumnas. Bene ualete. dn.

8 Ianuarij 1590

Philippus Nr Lantcho N.